

05

A

1178



M,



DISPUTATIO METAPHYSICA

DE

UNO,

PRIOR

Quam

Consensu Amplissimi Collegii Philosophici

F. I. D. N. M.

*Sub Presidio*

M. CHRISTOPH: BOHEMI,

Radebergensis Misnici, Elect. Sax,

Alumni,

*In Incluta ad Albim Academia*

publicæ placidæq; ventilationi  
exponit

JOHANNES Geyfried /

Lucenâ Misnicus.

*In Auditorio Minori*

ad d. 15. Decembris

Horis pomeridianis,

---

WITTEBERGÆ,

PRELO HAKENIANO M D C L I I.



05 A 1178

**L**  
Spec  
Aut  
eam  
illab  
T  
cipe  
scrib  
T  
Qua  
scen  
nacu  
que  
batu  
Unu  
possi  
unâ  
com  
sunt  
secun  
imp  
Ma  
alte  
Tun  
spe  
trib  
T  
adm  
lis a  
pon  
l. est  
Affe



**D**E Unitate Metaphysicâ in duabus Sectionibus, quarum prior Affirmativa, Negativa posterior erit, breviter disputabimus atq; paucis. Nec enim in Unitatis per Modos suos considerata, contractæve in speciebus discursum Dissertatio nostra decurreret: Sed, Legum Autoritatis memor, atq; conscia suarum vitium teneritatis, eam generaliter evolvet tantum. Tute Deus ceceptis optate illabere nostris.

Th. II. Citra ergò ambages cum Peripateticorum principe ex c. 6. l. 4. & c. 1. l. 10. ejus *Metaph.* Unum nostrum h. m. describimus: *Unum est Ens, quod in se indivisum est.*

Th. III. Unum de quo h. l. agimus, non est Singulare, nec Quantitativum (de quo ult. plurib. in fine hujus) sed Transcendens; Et est omnium prima Entis Affectio, tum ratione naturæ suæ; Quia statim atq; Entis natura concipitur, simul quoque concipitur Unitas illi inherens, s. naturalis, ne diffuset & dilabatur Ens; Siquidem adeò immersa ipsi est, ut posito Ente ponatur Unum; Et quicquid Unitatem nullam habet, à nobis concipi haud possit, cum nullam conceptus sui dare Formalitatem queat, nisi sub unâ ideâ. Quare res etiam diversissima, sine habitudine aut comparatione inter se, que Unitas quadam est, cognosci non possunt. Imò ea multitudo, qua ab Unitate penitus secundum se & secundum partes suas destituta fuerit, abyssus est obscurissima atq; impermeabilis, eodem prope modo quo Non-Ens, uti uterque Martini, alter quidem l. 1. Ex. Met. 6. tb. 5. p. m. 259. alter v. in Met. suâ p. m. 103. & 19. amat loqui. Tum ratione doctrinæ; quia semper absoluta sunt priora respectivis in suo genere; Hinc Unum cum Ente, tanquam Attributum primum, ipse etiam Arles l. 3. Met. c. 2. conjungit.

Th. IV. Unum est Ens: Duo hîc observanda: (1) Quemadmodum Subjectum in Definitione Affectiois accidentalis aut prædicamentalis non ut Genus, sed κατὰ μέρος seu ponitur, uti Arles 7. Met. c. 5. t. 18. docet: Ita comparatum h. l. est quodammodo cum ly Ens. Dico quodammodo. Nâm Affectioes aliæ Scientificæ non idem objectivè & fundamē-

SECTIO

PRIOR.

Aff. puncti

1.

realiter cum eo sunt, quod denominant: Siquidem fundamen-  
tallyter & ratiōe Conceptus objectivi, & à parte rei ex-  
tra Subjecti ratiōem constitutæ inveniuntur, adcoq; realiter  
à subjecto differunt, indeq; ἐκ τῆσδε τῆσδε Subjecti defi-  
niri rectè dicuntur; Quod de Uno h. I. (Cæterisq; Affectioni-  
bus Transcendentibus) ita dici nequit, quippe quod est i-  
dem objectivè & fundamentaliter cum Ente quod afficit.  
vid. pl. Rev. D. D. Cal. in Met. D. c. 1. p. G. Th. 2. p. m. 268.

TH. V. (2) Unum Ens dicitur Concretivè & Materialiter,  
non Abstractivè & Formaliter; παρὰ τὸν ὄντως, non συνὸν ὄντως.  
Licet n. Unum simplicem Entis Essentiam dicat, illud ta-  
men sub diversâ ratiōe fit atque conceptu: At Synonyma  
non tantum rem eandem significare, sed etiam secundum  
eandem ratiōem formalem & conceptibilitatem ex Logicis  
notum est.

TH. VI. Quod in se indivisum est: Hæc verba ipsum Unius  
Formale exprimunt, quæ, quanto plus creant sudoris In-  
terpp. tam quid ipsa Indivisio formaliter sit, quam quid U-  
nitas per illam Enti superaddat, investigantibus, tanto verus  
eorum sensus atque genuinus notandus est diligentius. Dici-  
mus a. cum pl. Rev. B. D. Scharf. ex Tb. Tr. disp. 6. c. 2. §. 18. p. 279.  
Indivisionem esse illum statum Entis, quo idem Ens concipitur  
ut aliqua res, quæ suâ intrinsecâ ratiōe sit indivisa. vel si rem  
mavis per re motionem; indivisio erit illa Entis ratiō, quâ  
ipsum conceptui intellectus nostri sese objicit, tanquam ali-  
quid carens omni congerie multorum unius Naturæ, & omni  
aggregatione multorum Entium completorum diversæ Na-  
turæ. Unde duo dispalescunt. 1. Distinctionem Unius in  
Unum per se & per accidens, non distinctionem Generis sed  
ambigui solum & Æquivoci esse; 2. Non omnes res naturâ  
suâ divisas, postquam coaluerunt, Ens facere per accidens.

TH. VII. Prius inde evidens est, quia ad Unum per ac-  
cid requiritur 1. actualis plurium continentia. 2. contentorum  
completa ratiō. 3. Extraessentialis habitudo, uti latius didu-  
cit D. D. Cal. l. c. c. de Un. Th. 2. p. 308. conf. Dn. D. Scharf. l. c. §. 25. 26.  
p. 284. Dn. D. Scheibl. l. 1. c. 4. Met. §. 10. & seqq. Hæc omnia autem  
antea datam contra Unius Formalitatem expressè scribun-  
tur.

TH.

TH. IIX. Quod spectat posterius ; pertinet huc Distin-  
ctio Unius in Indivisum Indivisibile, & Indivisum divisibile.  
*Illud* dicunt, quod nec actu nec potentiâ dividi potest; quale  
Unum accuratiores Philosophorum solum Deum statuunt,  
eo quod omnia prædicata, si de Deo dicuntur, in Substantiam  
ejus mutantur. *Hoc* autem est, quod per rerum diversarum  
concursum indivisum est, *divisibile autem dicitur, non tam*  
*ratione status & termini, quod in hac Vnitate, quâ tali, locum ha-*  
*beat Divisio; quàm ratione ortus & principij, quod olim divisa*  
*fuerint per Essentiam, quæ sub hoc statu indivisa sunt per Vnionis*  
*gratiam. Uti iterum rectè pl. Rever. Dn. Præceptor noster in suâ*  
*divinâ l. c. p. 313.*

TH. IX. Quod ut intelligi possit melius, sciendum, quod  
duæ Substantiæ, (siquidem ex accidente & accidente, aut ex  
accidente & subjecto non nisi Unum per accid. fieri multoties  
docet *Arles.*) ratione naturæ diversæ, & tam extra Unionē,  
quàm in illa disparatæ, si altera sese habeat ut *δύναμις*, altera  
ut *εντελέχεια*; vel propriè, vel analogicè saltem, (namque  
ex duabus potentiis Unum per se fieri non potest, eo quod  
nullum Compositum sit absq; formâ; *hac enim est id, per quod*  
*res est id, quod est, uti Scal. l. 2. de plant. p. 300. loqu.* Formâ a. non  
Potentia sed Actus ab *Arle 2. Phys. c. 11.* dicitur: Similiter nec  
ex duobus Actibus & per se subsistentibus Unum per se exur-  
git, propter manifestam, quæ inde emanatura foret, *ἀρτί-*  
*φασιν*) per *συνδρομὴν* aut *σύνοδον κοινωρικὴν συνελθῆσαι*, ut  
ti *Suidas* & *Platonius* in Unionis Definitione loquuntur, fa-  
ciant reverâ Unum per se. Quod pulchrè & nervosè *Svarež.*  
*Disp. 4. Met. f. 2. p. 80.* in hoc consistere ait, quod *precisè habeat*  
*ea, quæ ad Essentiam, Integritatem, vel Complementum talis Entis*  
*in suo genere per se & intrinsecè requirantur.*

TH. X. Ubi (1) verba: *quod precisè habeat ea*; cum Ente per  
sectiam alia uniri, quæ tamen non statim talia quæ  
*precisè ad Essentiam, Integritatem & complementum illius*  
*Entis intrinsecè requirantur, significant: v. g. ut Homo sit Ho-*  
*mo requiritur anima rationalis & corpus, hæc duo intrinsecè ejus*  
*essentiam constituunt; E. quæcumq; reliqua in Homine inveniun-*  
*tur, utro-*

eur, utpote *Flebilis, Albedo &c.* simul unū eorū cū *Homine* con-  
jungitur, ut, *Homo flebilis*, quando dico, aut *Homo albus*, ilicō U-  
num per accid. introducitur. (2) rō, quæ ad *Essentia* integritatem  
pertinent, docent, quamvis aliquid in Vno per se non consti-  
tuat ipsam ejus *Essentiam*, modo faciat ad *Essentia* illius in-  
tegritatem, nihilominus Vnum per accid. non facere, v. g.  
utut aliquis *μὴν* sit, ed, tamen erit perfectus *Homo* atq, alius;  
habet enim partes suas *Essentiales*; & si per naturam fieri posset, ut,  
abscissa quæ erat, manus renascatur denuò, per additamentum illi-  
us non fieret Vnum per accid., sed quemadmodum ille, cui integrū  
esse *Natura* dedit, Vnum per se maneret. (3) additur: quæ ad com-  
plementum talis *Entis* in suo genere per se & intrinsecè requirantur;  
Siquidem quædam faciunt ad complementum alicujus *Entis*,  
sed non intrinsecè in genere talis *Entis*, sed alterius; Sic ad  
*Hominis* Complementum qualicumq; modo requiruntur et-  
iam accidentia, connata partim, partim acquisita; v. g. ut *Cor-  
pus* debitam habeat quantitatem, ut bonis artibus excolatur inge-  
nium; sed hæc intrinsecè ad *Hominis* Complementum non perti-  
nent; nec in genere talis *Entis*, sc. *Substantia*, sed *Accidentis* *Homini*  
adveniunt, eumq; complent.

TH. XI. *Indivisio* autem illa, per quam Vnum constituitur  
in suo esse formali, non intelligitur accidentaliter quædam,  
aut extraessentialis; utpote cum aliquid est in uno loco aut  
ubi tantum, rectè quidem dicitur esse indivisum, sed  
indivisione locali, sed tali, qua & quodlibet *Ens* per accidēs  
gaudere potest, quin imo actu gaudet: Verum *Entitativa* &  
*Essentialis*, quæ ratione *Essentia* propriæ sumitur, ita nem-  
pe, ut *Indivisio* ad *Essentialia* rei, & ea quæ ipsi ita competūt,  
ut sine illis quidem ne concipi possit, modo terminetur.

TH. XII. Hæc ipsa v. *Indivisio* *Entitativa* non constitui-  
tur per aliud magis, quàm per adæquationem: Quando ratio  
*Entis* realis per se indivisa est adæquatè & secundum se, qua,  
attestante *Spar. d. 4. Met. s. 9. dist. 14. Unitas* in quovis *Conceptu*  
*objectivo* reali secundum propriam ejus rationem, & non secundū  
superiorem, aut inferiorem, aut extraneam attenditur; veluti  
quando *Hominem* *Ens* *Unum*, eo quod in *Genere* suo sit

im-



indivisus, dicere vellem, indivisio hæc futura esset inadæquã-  
ta; Animalis enim natura multò Homine est latior; simili-  
ter si eundem Vnum dicerem, quòd in Petro unus sit aut in  
Paulo; Nihil enim Divisioni Materiali cum Formali, cum  
non negetur distinctio aut Divisio Essentialium in indivisione  
Unius, divisio aut distinctio Essentialis quamvis negetur.

TH. XIII. Porro notamus, Vnum dici Ens indivisum in  
se, & non indivisum à se, aut ab alio: Hoc tanto enim opere  
huc non pertinet, ut potius contrarium: Illud v. voce Vnum,  
non significatur, quia comparationem ejusdem ad se  
ipsum, quæ aliis dicitur identitas negativè vel fundamẽ-  
taliter accepta, continet, nihilque est aliud, quam Rationis  
Relatio: *Istud v.*, dum in se continere omnia, quæ ad suam  
Essentiã complementum pertinent, indicat, & excludere om-  
ne extraneum, uti *Tb. X. de Vno per se diximus*, huc qua-  
drate cum primis videtur.

TH. XIV. Quid sit Indivisio, hæcenus. Unde quid Enti  
per illam Vnitas superaddat, conjectu est facillimum. Ipse  
n. conceptus Entis est omnium primus, simplicissimus & nõ-  
tissimus: Ergo cum de Ente Vnum dicatur, illi debet addere  
aut reale quid, s. Ens positivum; aut Negativum; aut Rela-  
tivum Rationis; aut Commenticium. Cum a. Enti hic nihil  
adfin gere liceat, nihil comminisci, addi illi quid Commen-  
tici nequit. Ac nec Relativi Rationis quicquam: Ens n.  
non demum Vnum sit, quia tu id cogitas, sed omnem intel-  
lectus operationem antevertit, & Vnum per semet est. Pro-  
in aut positivi aliquid erit aut Negativi, quod superaddatur.

TH. XV. Hæc liquidius ut clareant (1) notandum, bifa-  
riam sumi positivum: 1. strictè & propriè, pro eo, quod est  
Entitas & res peculiaris; 2. latè, pro omni eo, quod puro Ne-  
gativo, Enti item rationis ficto opponitur. (2) Distingv. est  
inter positivum rei, quod peculiaris Entitas est & Essentia,  
citra intellectus operationem existens; & inter positivum ra-  
tionis, quod aliquid est per mentis conceptum saltem, cum  
fundamento tamen in Conceptu objectivo. Jam dicimus,  
quod

*Sect. pr. p.*

2.

quod Indivisio Enti aliquid superaddere non possit Positivi, in priori significatione prior. Dist. Secus enim realis compositio in Ente simplicissimo exurgeret, luculentam paritura *ἀντιφασιν*: & secundo, posito, quod per Indivisionem positivi aliquid Enti superaddatur, necesse erit illud positivum esse Ens; si hoc; etiam erit Vnum, quod Vnum, utpote Ens, aliud Vnum requiret, & ita processus non tantum in infinitum dabitur; verum etiam quodlibet Ens erit infinita numero Entia, quæ omnia infinita cogitatu absurda. Addat tamen aliquid positivi in post. significatione. Non enim purum quid negativum est indivisio Entis, sed Modus ejus, ad certam ipsum essendi rationem restringens: Ille tamen ipse non tam Ens est, quam Entis ratio, vel formaliter, vel realiter etiam ab Ente, quod modificat, distincta; ut Subsistentia à re subsistente, Personalitas à Naturâ.

TH. XVI. Quæ alteram Distinctionem dicimus, licet non repugnet, ut Attributa Entis simplicissima sint positiva rationis, ut in *Veritate* patet atq; *Bon.* (*hæc cum grano salis accipienda autem esse Corn. Mart. Met. p. 90. perspicuè docet.*) Quod in specie Indivisionem tamen concernit, ea Negationem infert & non positionem; indivisum enim esse in sese nihil prorsus est aliud, quam non habere aliquid extraneum. & patet; Nam indivisio est Negatio Divisionis: Divisio v. Entitates in seipsis completas principaliter significat; vel res, quarum singulæ suis Entitatibus sunt determinatæ; Ergo hæc Entitates vel res quicquid negat, nullo modo positivum erit; id autem nostra indivisio facit.

TH. XVII. Disputare h. l. ulterius Metaphysici solent, an hæc Negatio pura sit Negatio, an privatio potius? Nos paucis, Entia, de quibus Indivisio dicitur, distinguenda esse, statuimus; Si enim id, quod Vnum nuncupatur, Simplex Ens est, & Indivisum indivisibile; Indivisio pura Negatio erit: Sin est vero Indivisum divisibile, privatio. Nec hæc tamen propria, Etenim quatenus Indivisio adheret Enti reali, nec extra illud invenitur, Privationi & non Negationi est  
simi-

simi  
tum  
nisi i  
Divi  
quod  
prop  
inger  
cedit  
254.  
TH  
ralen  
Con  
descr  
quod  
scend  
de qu  
TH  
esse id  
quod  
cepro  
super  
à quo  
nos, s  
Argu  
tissim  
inreg  
quid i  
nitur  
in se  
Quic  
ergo  
TH  
Thom  
in se  
agere  
est pri

similis, quia hæc non requirit Subjectum, multo minus certum aut definitum: Quatenus a. privatio non removet, nisi id, quod debet adesse & v. id, quod Indivisio removet, Divisio sc. vel Multitudo, Enti adesse non debet, quippe quod futura esset alias ipsa potius Multitudo Entis Affectio propria, quam Unitas; Eatenus ad genus magis atque ingenium Negationis quam Privationis Indivisio nostra accedit. *conf. Artes. l. 4. Met. c. 6. t. 11. B. Mart. Ex. Met. 6. Tb. 4. p. 254. Cl. Scheibl. l. 1. Met. c. 4. art. 2. §. 25. & seqq.*

TH. XVIII. Duo autem circa doctrinam Unius generalem singularim removenda videntur: Alterum est falsum Constituens; falsum Consequens alterum. *Illud est, quando descriptioni Unius, adduntur verba, tanquam necessaria: quod sit divisum à quolibet alio. Hoc v. quando Unitatem Transcendentalem eandem esse cum Unitate Numerali colligunt de quolibet paucissimis seorsim.*

Sectio Posterior Neg. punct. 1.

TH. XIX. Scilicet quidam non tantum dicunt, *Unum esse id, quod est indivisum in sese; & divisum à quolibet alio*, id quod nos libenter suo modo cum *pl. Rev. Dn: Doctore ac Praeceptore nostro in Tb. Trans. d. 6. c. 2 p. 278.* concedimus; Sed insuper quoque perfecte describi posse Vnum, nisi verba, *divisum à quolibet alio*, addantur expressè, pernegant: cum quibus nos, salva eorum Autoritate, hætenus facere non possumus; Argumentantes: Quocumque concepto Entis Unitas sufficientissimæ ponitur; eo v. non concepto eadem tollitur, illud est integra ratio formalis Unius; Sed concepto hoc, quod aliquid indivisum sit in sese, sufficientissimè Entis Unitas ponitur; hoc v. non concepto, eadem tollitur: E. esse indivisum in se, est Vnius integra formalis ratio. Et consequenter, Quicquid ulterius non tam explanationis quam necessitatis ergo urgetur, est superfluum.

TH. XX. Videtur v. hancce suam descriptionem defuisse illi ex *Thomâ p. 1. dist. 19. q. 4. ad secundum*: Illic ait, *Unum esse indivisum in se & divisum ab alio*. Verum ut illum non dicam ibi non agere de Vno Transcédentali, sed Numerali, seu Unitate, quæ est principium numeri, quæque Unitas est divisa ab aliis, quia

B

nume-

merus constat pluribus rebus non unitis, eandem tamen nimis angustam assero.

TH. XXI. Quod liquet partim inde, quia Anima Vnum quid est, quæ tamen ipsa maximè intimè unita, longèque arctissimè Corpori suo est: Partim quia indivisum esse ab alio, quodammodo Relationem infert ad aliud. Illud aliud autem, aut est Ens actuale, aut Ens possibile, aut impossibile vel non Ens. Si dicitur Vnum esse divisum ab alio, tanquam ab Ente actuali, tùm Vnum semper inferet multitudinem, quod est Vnum absurdum. Si dicitur, Vnum esse divisum ab alio, tanquam ab Ente possibili, tùm sequetur, DEUM, posito quod impossibile fuisset aliquid præter DEUM produci potuisse, non futurum fuisse Vnum quid, quod est secundum absurdum. Si denique dicitur, Vnum esse divisum à Non-Ente, vel eo, quod planè existere non potest, tùm affirmatio dividetur à negatione per aliam negationem & dabitur processus in infinitum, siquidem idem est ac si quærenti, quid sit Homo? regererem, Homo non est id quod est non Homo; & iterum quærenti, quid autem est non Homo, occinerem, Non Homo non est id quod est Homo, quod est cum egregiis butabatis tertium absurdum.

TH. XXII. Quid ergo? Divisum esse ab alio, & non divisum esse ab alio sunt contradictoria: Necessè proinde est, ut de Vno alterutrum dicatur. Posterius non potest; Est enim absurdorum absurdissimum, Vnum esse & tamen non divisum esse ab alio: Ergo prius dicatur oportet. R. i. Amphibolia in phrasi, divisum esse ab alio, latet: vel enim idè ac prorsus non unitum esse alicui quocunque modo, significat; Et tùm nego quod omne Vnum ita divisum sit ab alio, patetq; id non esse absurdum, ex Th. præc. satis. Vel idem, ac hoc non esse illud notat, quo quidem sensu communiter Doctores sumunt; Et tùm dico omne Vnum necessario esse ita divisum ab alio, contraq; absurdum, Vnum esse & non divisum esse ab alio. Veruntamen hoc ipso asserto nondum propria coedo vineta: Convenit enim Vni aliquid necessario, sive per se primò; sive consequenter. Priori modo quod convenit, intrat formaliter rationem Vnius; quod posteriori, non tam

con-

convenit quàm accidit, adeoque est tantùm consequens:  
Quomodo revera res sese habet cum ly esse divisum ab alio.  
Quia enim jam de facto cum Ente possibilis est existentia al-  
terius, ideo ad omne Ens Vnum consequitur, ut possit esse  
distinctum ab alio, quemadmodum ad quantitatem esse fū-  
damentum æqualitatis & inæqualitatis sequitur. E. hinc sū-  
matim patet, quod ly indivisum esse in se, sit formalis ratio  
Unitatis, competens Enti ad æquatè, rectèq; in definitione ur-  
geatur: ly divisum verò esse ab alio, rectius ad  
conjunctas Affectiones pertineat, ab Unitate pro-  
fluens, quo Ens dicitur idem vel diversum, & non tam ob  
necessitatem quàm declarationem à cordatioribus addi.  
Conferatur *Suarz. Disp. 4. Sect. 1. m. 16. p. 76. Beatus Mart.  
Exerc. M. 6. th. 3. p. 248. 253. Corn. Mart. p. 97. & 101. Met. Dn.  
D. Cal. D. M. c. 4. p. gr. th. 3. p. m. 309. Cl. Scheibl. c. 4. Met. l.  
1. Art. 3. p. 29. & seqq.* (Cæterum obiter addimus, quaravis hæc  
sese ita habeant, negari tamen non posse, quin Divisio sit prior in-  
divisione quoad nos: Cum enim indivisio cognoscatur ut Negatio  
necesse est ut prius apprehendatur id cujus est negatio, quia sem-  
per quoad nos affirmatio antecedit negationem)

Th. XXIII. Quod falsum consequens attinet, nempe U- punct. 2.  
nitatem Numeralem eandem cum Transcendentali esse, sci-  
endum, nos in præsentiarum, per Unitatem Numeralem  
non tam intelligere de quâ *Aristoteles l. 3. Met. Unum Nume-  
ro an singulare dicas, nihil interest: Etenim hoc modo siugulare  
exponimus quod numero est Unum: Sed illam, quæ est Princi-  
pium Numeri quantitativi: Quamvis enim etiam Numé-  
rus Transcendens ex Unitatibus Transcendentibus constans,  
& per quam incorporea & Numerare licet, detur: conf. Artes  
l. 1. Met. c. 1. & 2.* Quia tamen cognitio nostra à sensu incipit,  
& per sensum solum numerare ea quæ magnitudinem ha-  
bent, possumus; Ideo harum rerum multitudo specialiter  
Numeri nomen accipit, & propter hoc speciali modo Unitas  
fundata in Quantitate, Unitas Numeralis dicitur, alias eti-

am Unitas Quantitativa, *Svarez. Disp. 4. Sect. 3. m. 12. fol. 91.*  
hanc verò ipsam Unitatem Numeralem non esse eandem  
cum Transcendentali, tribus, quod ajunt, verbis probamus:  
1. Numeralis in suâ ratione formali quantitativa involvit;  
Transcendentalis etiam Spiritibus competit. 2. Illa cum  
Substantia sumpta facit Ens per accidens, Hæc neutiquam.  
3. Illa suis subjectis addit aliquid reale & positivum; Hæc  
negativum 4. Omnis Numeralis est etiam Transcendentalis  
Sed non viceversa. 5. Illa tantum invenitur in uno Prædica-  
mento; Hæc per omnia vagatur. 6. Illa multitudinem re-  
lativè, tanquam mensura mensuratum; Hæc privative quod-  
ammodo respicit. 7. Sine illa multa dantur Entia; Sine hæc  
nullum.

Th. XXIV. Et tantum de Uno in Genere. Nunc etiam  
aliquid de Multo dicendum foret: sed cum supra *Thesi 3. &*  
*4.* dictum sit, Omne Ens esse Unum; Ideo superfedere hæc  
tractatione malumus, eo quod de illo melius, in de Uno  
contractè sumpto, vel in suis speciebus contento dicitur:  
*Quando enim, inquit Desideratissimus noster quondã Præcep-*  
*tor B. Mart. Exerc. Met. 6. th. 5. p. 256. Nullum Unum exi-*  
*stere potest quin contractè existat, & in certa quadam Unitatis sit*  
*specie, sit, ut Unum non amplius cum Ente reciprocetur solitariè,*  
*sed cum disjunctione; Ut nimirum hæc significatione rectè dica-*  
*tur, Omne Ens aut Esse Unum aut Multa.*

I. D. N. G.

7.  
m  
s:  
t;  
m  
n.  
ce  
is  
a-  
-  
h-  
ne  
  
m  
c  
o  
:  
a  
:  
a  
:  
a

05 A 178


ULB Halle 3  
003 765 008  


178









DISPUTATIO METAPHYSICA

DE

UNO,

PRIOR

Quam.

Consensu Amplissimi Collegii Philosophici

F. I. D. N. M.

*Sub Presidio*

M. CHRISTOPH: BOHEMI,

Radebergensis Misnici, Elect. Sax,  
Alumni,

*In Incluta ad Albim Academia*

publicæ placidæq; ventilationi  
exponit

JOHANNES Geyfried /

Lucenâ Misnicus.

*In Auditorio Minori*

ad d. 15. Decembris

Horis pomeridianis.

---

WITTEBERGÆ,

PRELO HAKENIANO M D C L I I.